

Et negati-
na pars in-
tra proba-
bita prin-
cipia defen-
diunt.

difficile erit fractionem inde naturalis ieiunij comprobare. Sic ergo de aqua per nares attracta, & in stomachum transmissa, affirmat P. Fagundes Lib. 3. circa tertium Ecclesia Præceptum, Cap. 5. num. 14. quod ex doctrinâ P. Suarj, & P. Henriquez probat, licet illi de aquâ sic sumptâ in speciali non loquantur: vnde non bene Diana *suprà*, Resolut. 1. §. Hoc supposito, P. Suarium vt in speciali sic afferentem adducit. Videatur *Tomo 3. in 3. P. Disput. 68. sect. 4. §. Quæret rursus*. Ex eius tamen doctrina colligitur, dum ait id, quod per modum respirationis attrahitur, non frangere ieiunium naturale, etiam si nutrire possit. Quod si in aquâ id est verosimile, idem etiam erit in vino, & in quolibet alio succo aut puluere: pro quo Diana loco dudum citato, vbi alios adducit, & præsertim Alfonso a Leone de tabacho loquentem; licet non desint qui contradicant.

Circa sum-
mam ore
sumptum
sententia
affirmans.

98 De fumo autem maior videtur esse difficultas, quando per os sumitur: & tunc, si in stomachum traieciatur, illud frangi affirmant P. Præpositus *Tomo 4. in 3. p. quæst. 80. numer. 39. §. Ex dictis*. Antonius de Leon *in 99. moralibus de Chocolate p. 2. §. 4. num. 16. & seqq.* id generaliter de quacumque sumptione pronuntians. Thomas Hurtadus *suprà*, Resolut. 2. vbi alios adducit. Sed pro sententiâ contrariâ pugnat Diana *suprà*, & alij, quos ipse, & etiam Hurtadus adducunt, qui probant. *Primo*, quia sic sumptum in stomachum non traieciatur, sed per nares emittitur. In quo quidem deceptus Diana: non enim sumitur, vt per nares eiciatur, sed vt consulatur stomacho verâ illâ, aut existimatâ virtute. Licet enim verosimile sit id, quod cum alijs probat Cardinalis Lugo *suprà*, numer. 5. & seqq. Tabachum oretenus sumptum posse effectum in stomacho habere, nullâ in eum substantiâ traiectâ particulâ; ea tamen philosophia neque certa est, neque communiter nota, & ita aliter vsus habet. *Secundo*; quia sumitur per modum respirationis, & non per modum cibi, aut potus, per actionem scilicet comedendi aut bibendi, iuxta doctrinam grauium scriptorum, ita præceptum dictum explicantium. Et hoc est vnicum, & verosimile talis sententiæ fundamentum: quam & sequitur Eligius Bassæus verb. *Communio sacra, numer. 41. & P. Escobar de Mendoza in Theologiâ morali, & Examine Confessariorum, pro eadem adducitur, dum Tractat. 7. Exam. 6. in fine*, ita scribit: *Tabachine pulueres, fumus, aut solum, prohibet à Communione? Puluis, aut fumus, minimè, qui nullam cibi aut potus rationem habet per nares traiectus*. Sic ille. Sed cum de fumo per os sumpto nihil dicat, pro oppositâ potius videtur militare. Et iuxta hæc etiam accipienda resolutio Hieronymi Garcia in summâ morali de sacerdotio *Tractat. 3. Difficult. 5. Dub. 2. num. 47.* vbi de Dianam sequi proficitur, & in fine concludit sic: *Defendo que no es culpa grave el vomallo antes de celebrar, per evitar los escrúpulos, que podia causar esto, supuesto que tiene buen fundamento*. Sic ille. Qui tamen de puluere & fumo per nares sumptis locutus fuerat, & id quidem ex non bene percepto sumptionis modo: fumus enim tabachi non per nares, sed per os sumi consuevit, & ita Dianæ sententiæ non videtur penitus consentire. Sicut neque Cardinalis Lugo de sumptione tantum per nares locutus *cit. num.*

P. Escobar
de Mend.

Hieronym.
Garcia.

1. cum Pasqualigo in Praxi ieiunij, Decisione 438. Quod neque admittit Dom. Solorzanus, qui absolute sumptionem per os & nares abhorret, & carpit in Politicâ Indianâ *Pag. 118. §. Y si empre*, sic subdens: *Siendo asi, que en opinion de Antonio de Leon que brantian con esto el ayuno natural, y en lamia, y en la de todos quantos bien sientem, el Eucharistico*. Hæc ille. Quibus non obstantibus, sunt qui contrarium sentiant, & se bene sentire contentant, nec solum theorici, sed practici etiam assertores.

D. Solorz.

99 Cum ergo modus dicendi prædictus neque ratione, neque auctoritate sit penitus destitutus, & ita vt improbabilis nequeat condemnari, si nihil aliud obstat, id modo dispiciendum, vt Religiosis vsus non licere sit prorsus asserendum. Et obstat quidem schandalum poterit, quod generaliter circa leges similes Auctores affirmant, vt videri potest apud P. Suarium *suprà*, num. 10. Dianam *Parte 1. Tractat. 10. Resolut. 11.* qui & videndus circa ieiunium *Tractat. 9. Resolut. 38.* vbi plures adducit. Quod quidem in præsentia casu maxime locum habet; est enim quantumtissimum scandalizari eos, qui sic agentes conspiciunt Religiosos, in his præsertim regionibus, de quibus iam dictum, curam deberi specialem haberi, quia de conuersione infidelium, stabilendâ fide, & Christianis moribus inducendis agitur; vnde maiori debent Religiosi moderationis exemplo præluere. Licebit ergo quod est cum multis nuper propositum, cessante scandalo; sicut de fine alio, in casu de quo loquimur, dixit Hieronymus Garcia, licet non congruè applicatâ doctrina, dum ex Dianâ asserit Tabachi sumptionem à Concilijs prohibitam ob prouocationem nauæ & vomitus, & ita eo periculo cessante, prohibitionem etiam cessare.

Ratione
schandali
non licere
Religiosis,
sed in casibus
esse probabile.

100 Præter dictos autem sumendi modos sunt alij, dum scilicet folium ore sumitur, sed non traieciatur in stomachum, nisi quatenus succus aliquis saluæ admixtus deglutitur, sine intentione tamen comedendi: neque enim comestione opus ad ingentem excitandam commotionem, de quo dictum *num. 98.* Et sic sumptum non frangere ieiunium tenent Diana, Hieronymus Garcia *num. 46.* P. Escobar de Mendoza *in fine Examinis citati* Patres Neapolitani Societatis, quos consuluit, & secutus est Cardinalis Lugo *num. 5. & seqq.* & alij. Et comprobari potest ex doctrinâ P. Tanneri, & Bartholomæi à S. Fausto apud Dianam, de circumferente ore aliquid aromaticum; quod & Bopacina affirmat *Tomo 1. Disput. 4. de Eucharistiâ, Quæst. 6. Puncto 2. num. 9.* cum P. Coninck *Quæstion. 80. de Sacramentis, num. 48.* & alijs: ex quo necessarium est nonnihil saluæ adhareat, non tamen impediens Communionem. Dum autem addunt, *sed nihil ex intentione deglutitur*: non est ita intelligendum, vt neque id, quod per modum saluæ admiscetur, non debeat ex intentione deglutiri. Nam cum certum sit admixtionem talem fieri, potest quis intentionem habere sumendi illud sic admixtum, quia id est cum intentione saluam deglutendi coniunctum, quam potest quis habere, quia actus licitus est. Sic ergo accipiendum est, vt ex intentione nihil deglutatur, ne minimum quidem, quod saluæ admixtum non sit, sed per se stans, sive ex folio, sive

Folium pos-
se sumi, si
non traieci-
atur.

Quid ex
intentione,
aut per mo-
dum saluæ.

De sum-
ptione in lu-
to, & alijs.

sive ex succo, sive in quo potior pars tabachi sit, quam saluæ, quæ insensibiliter admiscetur. Circa quod, cum fundamentum non leue videatur habere, & sic boni loquantur Auctores, non est cur rigidè vsque ad Censuram transgressionis mortalis censeamus.

101 Alius est etiam sumendi modus, in luto scilicet; sit enim massa quædam, aut electuarium, quod capsulâ inclusum affertur, & parui coclearis vlu ori illatum nescio qua ratione tractatur. Si ergo transglutitur, naturalis est ieiunij fractio manifesta, quia medicamento prætextu sumitur, & fortè aliquoties tale est. Si verò post sumptionem expiuit, alteratione per illud, quæ intenditur, subsecutâ & aliquid tantum per modum saluæ traieciatur, adinstar eorum, qui cibos gustant, quibus condiendis assistunt, aut qui vino os abluunt; idem est quod de folij sumptione dicendum, eadem stante ratione; licet defuturi non sint qui secus sentiant, & fortè melius: sicut neque modi alij sumendi, vt pillularum saccharo conditarum, de quibus Thomas Hurtadus; facile enim est inuentis addere, & præsertim, vbi vitiosa cupiditas dominatur, æmula vanitatis.

Episcopi au-
precepto to-
nantur.
Vbi pars
negatiua
fundatur,
ex receptis
principijs.

102 Secundum dubium est, An Episcopi dicto tenantur præcepto.

Circa quod Religiosus Episcopus, cum anceps esset, licet doctus ille, alium duxit Religiosum & doctum pariter consulendum, & non teneri respondit ille: qui moueri potuit ex eo quod sumptio prædicta ex se naturalis ieiunij fractura non sit, iuxta dicta: præceptum autem ad solos Presbyteros dirigitur, vt ex eius tenore constat: nomine autem Presbyterorum in odiosis non veniunt Episcopi, sicut neque nomine dignitatis, vt communiter notant Doctores. Videantur Naldus verb. *Episcopus, num. 1. & 3. P. Sa verb. Episcopus, num. 9. & P. Suarez Tomo 5. in 3. p. Disput. 31. Sect. 1. num. 53.* Præterquam quod sermo generalis non comprehendit personam loquentis. *L. Inquisitio. C. de solutionibus. Cap. Petritio, de iure iurando.* Quod materiæ præsentis accommodat Barbosa de Potest. *Episcop. Alleg. 93. num. 27.* Cum ergo Episcopi Prouinciales prædicti Decreti Auctores fuerint, non videntur eo se voluisse comprehendere. Neque enim de multis sic decernentibus aliter sentiendum est, ac de vno aliquo, cum Synodalem Constitutionem condit, ad quam non obligari communis sensus Doctorum est, de quo Barbosa *suprà*. Quæ ratio apud eos certè vim habeat, qui existimant Concilium Prouinciale non esse superius singulis in eo assidentibus, de quo *Titulo 9. num. 155. & 158. & seqq.* Vbi cum ostensum sit oppositum, & validè comprobatum, non est illi multum insistendum. Prior autem solidior est, iuxta quam Episcopi ab eo sunt onere liberandi: si tamen ita cautè procedant, vt scandalum non sequatur; ne illis Christi veniat applicanda sententia, in Phariseos iactata, quod scilicet pro alijs onera grauiâ disponant, quæ ipsi ne digito quidem mouere velint, molestiam omnem recusantes. Et in Episcopis Indiarum peculiarem esse rationem ex dictis *num. 98.* circa Religiosos compertum habetur, de quo & alijs.

Nisi ad
scandalum.

103 Tertium, an prohibitio dicta ad omnes se

Communicantes extendat.

Et de extensione in iis partibus, ad quas se iurisdicção Mexicani Concilij protendit, dubitari nequit, quia ita in illo expressum habetur: de alijs autem, cum prohibitio expressa non sit, & soli nominentur Presbyteri, iuxta id videtur iudicandum. Probabile namque est, secluso præcepto, obligationem sub mortali non esse: si ergo præceptum ad omnes Communicantes non extenditur, obligatio eorum alia à communi non erit. Neque ex obligatione Sacerdotum colligi obligatio aliorum potest, licet idem omnes recipient, & eandem videantur decentiam postulare. Quia licet idem sit; modus tamen recipiendi est diuersus, soli enim sacrificant Sacerdotes. Et ita sicut in Communicantibus non requiritur specialis vestium ornatus, qui tamen pro Sacerdotibus necessarius est, ita etiam circa alia dici potest. Pro quo est item, Sacerdoti, qui conscientiam peccati mortalis habet, nec copiam Confessarij, onus Confessionis faciendæ, quamprimum possit, imponi à Concilio Trid. *Sessio 13. Cap. 7.* Quod tamen onus Communicantis alius iniunctum non est, vt communiter Doctores affirmant. Erat equidem Concilio perfacile Communicantibus omnibus sub reatu eodem præcipere: cum ergo ita non fecerit, credendum est inuoluerit omnes minimè voluisse. Nam si voluisset, expressisset, vt sæpè aliàs dictum ex Cap. *Ad audientiam*, de decimis, & textibus alijs.

Ad commu-
nicantes
omnes
non extendit.

Conc. Trid.

Consuetu-
dinem ta-
men à Co-
fessarijs ob-
seruandam.

104 Videtur tamen consuetudo aliud suadere: nullus enim communicare audeat post tabachi sumptionem; & si secus fieret, scandalum non exiguum oriretur. Vnde videtur hoc esse à Confessarijs conseruandum, vt nullum communicare permittant fumosis ore aut naribus accessurum. Licet autem circa præscriptionem consuetudinis non sint qui quætionem moueant defuturi; insistendum illi, & ob reuerentiam Altissimi Sacramenti conseruandum; vt vires sumat. Vnde accedenti & dolenti quod incautè Tabachum sumplerit, cum esset communicaturus, dicendum vt in alium diem differat Communionem. Neque enim negari potest quin saltem indecentiæ aliquid in eo sit, quod ad dilationem satis; accedente virorum sapientium sententiâ, qui præter indecentiam præceptum graue esse contendunt. Neque timendum, ex eo quod fideles obligationem in eo grauem recognoscant, occasiones grauium lapsuum. Cum enim illi satis cautè in hoc se gerant, & Confessariorum iudicio stare experientia notum sit, nulla esse occasio potest, quæ illis perniciofa sit futura. Dum ergo illi se Confessariorum iudicio submittant, Confessarij opinione probabili vti possunt, vt sic diuini Sacramenti reuerentiam tueantur. Neque enim ibi locum habet, quod sententia communis amplectitur, Confessarium scilicet debere se opinioni Pœnitentis accomodare; quia Pœnitentis nullâ se opinione tueri contendit, iudicio Confessarij penitus pariturus.

Alia circa eandem materiam.

De Sayri, & Topasayri.

105 PRATER Tabachum Concilium apponit Sayri, qui pulvis est Indicus ad sternendum validissimus, ut sic caput grauatum multipliciter allevietur, quod etiam dicitur Topasayri, nec graueolentiam illam, quam Tabachus, relinquit. Illo ergo uti non licet, ubi Concilij viget auctoritas. Quia vero sunt alia, siue ex genere Indicarum plantarum, siue ex Europæis, aut aliunde petita, quæ sumi solent, ut rosacei pulveres & ex Sandalo, dubitari potest an debeant etiam prohibita censi à Concilio. Et ut prohibita censi non debeant est obuia ratio ex doctrina communi de lege pœnali, quæ debet strictè interpretari: cui insistere qui voluerit, non poterit facillè erroris conuinci. Pro quo & argui ex eo potest, nam cum pulveres dicti Orbiferè vniuerso communes sint, & contingere possit vt ante Communionem fumantur, non inuenitur pro hoc quidquam in Concilijs cautum, vnde neque Indica Concilia existimanda sunt prouidentius circa illos quidquam statuisse. Est ergo pars ista non inuerosimilis: sed qui eam sequi voluerit, scandalum vitare debet: qui enim viderint puluerem quemlibet Tabachi more defumi, pro Tabacho non imprudenter iudicabunt, quia iudicium iuxta communiter accidentia solet efformari. Et quidem neque bonum illud de Tabachistis multi habere solent, nec tale quale sibi Sacerdotalis & Religiosa debet dignitas accurare: vnde Dom. Solorzanus in Politica pag. 118. Col. 1. in fine post adducta aliqua contra putidam illam consuetudinem ita subdit: *Cosas todas que en mi concepto son bastantes para no haerle bueno de los que se dan à deleyre tan asqueroso.* Sic ille. Cui & ego libenter subscribo, & ita sanè sentio. Vt in prouisione Beneficiorum meritò debeat ratio consuetudinis istius haberi, & minus dignos, ne indignos penitus dixerim, eos habendos decernere, qui illà notati fuerint deprehensi. Vitium enim est, quod & ipsi non negant, & sordidum quidem ac fœdum, rebusque sacris tractandis peculiarem inconcinnitatem adducens. Quomodo ergo in Beneficijs conferendis habenda de hoc ratio non sit, & vitium istiusmodi supprimendum?

An in flatu mortalis peccati sint hinc vitio dediti. Et pro parte affirmante arguitur septem rationibus. Prima ratio. Dom. Solorzanus.

106 Et dubitari quidem potest an huic vitio dediti in statu mortalis peccati sint; quod probari potest Primò. Quia graue nocuum salutem inferunt, ex eo quod pulveres cerebro notabilem inducant siccitatem, quo nihil illi magis aduersum esse potest. Fumus autem hepar, & viscera adurit, vnde & mortes subitè non rarò contingunt: pro quo faciunt Carmina, quæ ex Ioanne Barclayo adducit Dom. Solorzanus supra ex iis Hispanè versà, quæ habet Tomo 2. Lib. 1. Cap. 8. num. 27. quorum illud semel & iterum vsurpatum: *Planta nocens. O lethifero Planta horrida fumo!* Quando autem graue nocuum salutem ex immoderantià eorum, quæ ore sumuntur, inferunt, graue peccatum esse communiter Doctores affirmant, vt videri potest apud Cardinalem To-

letū Lib. 8. Cap. 60. n. 1. P. Lessium Lib. 4. Cap. 3. n. 7. P. Escobar supra Tract. 2. numer. 23. s. Quando nam. Bassæum verb. Gula. num. 3. & alios. Secundo, quia iuxta citatos, Gula tunc est peccatum mortale, quando ex nimio cibo aut potu probabiliter timetur aliquod peccatum mortale. Pro quo Cardinalis Toletus supra s. sexto, Quando: cui alij consentiunt. Atqui Tabachistæ non vni, sed multis mortiferis peccatis obnoxij sunt, qui & vehementi appetitùs vrgente, quidquid obstitit, transgredientur: possunt autem multoties mandata sub mortali obligantia interponi. Tertio. Quia communis etiam doctrina est, Gula esse peccatum mortale, quando ex ea sequitur scandalum, vt apud eundem s. Quarto quando, & alios citatos. In casu autem nostro sic vsu venit, si præsertim huic vitio implexi Sacerdotes aut Religiosi sint. Quarto Quia res sacræ & diuine indecore tractantur, vestes sacræ inficiuntur, & Corporalibus ipsis sordes ad nauſeam prouocantes insillantur. Quinto. Quia tales nihil pro dignitate, & vt res exigunt, faciunt. Sed prope, tumultuarie, ad sordidam illam voluptatem semper anhelantes. Vnde & cremandus die sequenti prouectæ ætatis homo ob fœda crimina, cum à Sacerdote ad dispositionem Christianam efficaciter, licet suauiter, vrgeretur, inter doloris pro peccatis actus Tabachum postulabat: pro quo à Sacerdote correptus consuetudinem causabatur. Ergo neque æternæ salutis negotium in extremo articulo conuenienter finit pertractari. Sexto, quia, vt dixi num. 95. multi viri graues, docti, & experti, diabolicum aliquid in sumptione ista tantoperè inhaerescere admiseri arbitrati sunt, & nunc etiam arbitrantur. Tandem, Præfati viri de Tabachistis bonum se non habere conceptum voce & scripto protestantur: in bono ergo illi statu non videntur esse; quandoquidem ex leuibus defectibus non debet absolute finister conceptus efformari. Sed erunt qui hæc non vrigere contendunt, & mortale peccatum in abusu prædicto negent, & suam pergant hinc & inde petitis rationibus comprobare sententiam. Sed durum sanè erit, si quod ipsi probant, Deus fuerit inuentus reprobare. Et nil tale timentibus dicatur: Fumo pereant, qui fumos non vendunt, emunt tamen, contra eius, qui ignis consumens est, manifestissimam voluntatem. Pro quo hæc satis.

CAPVT IX.

Circa ministerium Altaris nonnulla alia pro Indorum Parochis.

107 IN Concilio Limesi tertio Act. 4. Cap. 11. sic habetur In Missali auctoritate Summi Pontificis edito, nihil addatur, aut detrahatur, aut immutetur quouis modo, sed quemadmodum est ab Apostolica Sede constitutum, Missæ ceremonie omnes, ceteraque diuina peragantur. Hæc Concilium. Quæ quidem omnes in altari ministrantes obstringunt, sed circa Indorum Parochos inculcanda illa, quia circa hoc solent frequentius culpabiles inueniri. Debent ergo pileo uti, dum è Sacrificia exeunt, & ad illam reuertunt: sic enim in Missali præcipitur:

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

A Parochis Indorum Missale Romanum penitus obseruandum. Concilium Ltm. 3.

Decretum Tridentini pro abolitione obsequij rituum & ceremoniarum.

Circa pacem in Missa quid ex Concilio Limesi 3. & Missali Rubrica.

Gauantia.

Patena vsus in pace vt prohibitus & permissus.

tur: per medium ad altare ascendere, & non per latus, Calicemque manibus portare, & non in altari aliàs positum satis esse censere, cum debeat portari patena & hostia super positis. Sic alia sunt, in quibus lapsus multiplices; sed præ alijs fortè maior ille in quibusdam, qui eò quod inter Indos se tantum versari videant, grauitatis pro sacrificij maiestate debetè penitus obliuiscuntur. Ibi ergo magis damnabiles, vnde excusationem suæ leuitati prætextunt: quia enim Indi sunt qui assunt, ideo illi ad reuerentiam sunt Sacramenti, sui Rectoris exemplo singulariter pertrahendi, docti alium de illo formare conceptum, quod vident à viro dignitatis tantæ sublimi circumspectione tractari. Quod autem nihil addendum sit, detrahendum aut immutandum, à Pio Quinto in sua Constitutione præcipitur, quæ in principio Missalis occurrit, verbis illis: *ac huic Missali nostro nuper edito nihil vnquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo, sub indignationis nostræ pœnâ, hac nostrâ perpetuè valiturâ Constitutione statuimus, & ordinamus.* Sic ille. Et quidem cum ita sit à Pontifice constitutum, non videtur cur Concilium suo illud voluerit Decreto firmare. Sed certè conuenientissimum fuit, quia in Indiis ea licere videntur quæ pro cuiusque libitu disponuntur. Vnde & pro Regijs, & pro Ecclesiasticis Constitutionibus obseruandis, peculiaris debet à Gubernatoribus & Prælatibus conatus adhereri. Est etiam Decretum dictum Decretum Tridentini Concilij conforme Sessione 22. de obseruandis & vitandis &c. Vbi Episcopis huiusmodi cura præcipitur, vt per edita & pœnas, ritus & ceremonias ab Ecclesia probatos faciant obseruari.

108 Addit sequentia Concilium: *Inter Missarum alicui seculari pacem cum patenâ dari, aut per Ministrum Ordinis sacri ad feminam cuiuscumque dignitatis deferri nullâ ratione permittatur.* Sic Concilium, cui penitus concinit Synodus Diœcesana Pacensis Lib. 3. Tit. 8. Cap. 50. Vbi quid ad pacem cum patenâ dandam spectat satis ex Rubrica Missalis constat. s. 10. num. 3. in quo sic dicitur *& instrumentum pacis ei porrectum à Ministro iuxta ipsam ad dexteram &c.* Debet ergo esse peculiare instrumentum, & non patena. Licet autem id pro omnibus videatur dispositum, ita vt Ecclesiasticis etiam pax instrumento, & non patenâ sit danda, quia nulla in dictâ Rubricâ, & aliâ, quæ habetur num. 8. indicatur diuersitas: pro solis tamen laicis vsus obtinuit vt patena non debeat adhereri. Immo & pro Prælatibus expressè loquitur Gauantus in Commentario Rubricæ citatæ L. F. sic dicens: *Minister daturus pacem genuflectit ad dextram Celebrantis, & dicto tertio Agnus Dei, porrigit instrumentum osculandum eidem Celebranti: tum factâ genuflectione, accedit ad Prælatum & alios, quibus idem instrumentum porrigit &c.* Pro quo & facit id, quod testatur in eiusdem s. num. 8. vers. Ordo vero, Commentario, verbis sequentibus: *neque datur vnquam cum patenâ, vice tabellæ, seu instrumenti, quam patenam prohibuit Pius V. in Epistola ad Archiepiscopum Tarraconensem supra citatâ num. 5.* Sic ille. Prohibitio autem videtur fuisse generalis, vt probat particula *Vnquam*, quæ adiungitur cum negatione. Verùm dicente Auctore prædicto patenam à Pio V. fuisse prohibitam.

ex eo videtur fieri non prohibitam illam per eam, quæ in Missali habentur. Cumque aliàs Epistola illa Pij V. ad particularem Prælatum fuerit directâ, neque vt vniuersale Rescriptum intimata, patenæ vsus non videtur generaliter fuisse sublatus. Ideo circa hoc non vna est vbique consuetudo, & licet quod ad laicos spectat, peculiare Pontificium Decretum extet, Proregi tamen patenâ datur pax, & supremis alijs Prætoriorum Præsidibus, ac confidentibus Auditoribus. Nec mirum erit, si Prætores Indorum tale quid velint, & obtineant, Parochis conuenientibus, ne difficiles experiantur salarj sibi reddendi solutores, aut aliàs aduersantes.

109 Circa feminas autem id, quod à Concilio statutum est, cum Proregum vxoribus non solùm temperatum, sed etiam ampliatum: si enim publice sacris Missarum solemnij interfuerint, per patenam illis datur pax, & alia pariter fiunt, quæ fieri cum Proregibus solent, quia eisdem honorum prærogatiuis, quibus mariti, perfruuntur: ad eum modum, quo Regina illis, quas dicimus Regalias, iuxta vulgatum Iuris pronuntiarum, quod vxores radijs virorum illustrantur. In quo quidem, vt de Regibus non loquamur, quia eorum alia ratio est, quibus & Pontifices plus indulgent, erga res Ecclesiæ beneuolas habere conueniens arbitratis: nimia videtur licentia præsumi, quia nullibi illa concessa; & neque in ciuilibus ea est honorum similitas, vt est planum: quia Proreginas comitari non debent Auditores, neque in tellis federe illæ possunt, illis adstantibus, Proregum more: & vt in illis esset, circa diuina nequit extendi, quia à diuerso fonte procedit: vnde & Pontifex potest; quod ad id spectat, prout libuerit, indulgere. Et hoc certè videtur Concilium respexisse verbis illis: *cuiuscumque dignitatis.* Quod si in talibus hoc officij genus indecens à Concilio iudicatum, multo id erit indecentius respectu aliarum. Videant ergo Religiosi, qui vt Patronarum gratiam ineant, per Sacerdotem stolâ ornatum pacem illis deferendam iubent, an id Ecclesiæ sit ritui & dispositioni conforme. Est autem amplior pro thurificatione concessio in Ceremoniali Episcoporum. Reginis enim & magnis Principibus conceditur, sicut & viris, immò & omnibus Magistratibus. Pro quo Dom. Villaroël Parte 2. Quest. 11. Artic. 6. num. 16. Vbi quod Missale tantum Proregi deferendum, iuxta Regiam schedulam. Sic num. 5. Quomodo autem in Chylensi Ecclesiâ pacem Diaconus Regiæ Audientie præbeat, cui consuetudini ipse morem gesserit, & de alijs dispensationibus circa Ceremoniale à Regiæ Indiarum Consilio iustum obseruari, quibus vrbauitatem suam posteris commendatam relinquit, videndus Art. 3. num. 87, & 88. quæ an à Supremo diuinæ Majestatis Consilio approbatæ fuerint, erit cum certè certius videamus. Et post hæc scripta à Supremo Consilio Indiarum Rescriptum vt Patenæ vsus in Pace nequitiam admittatur. Quibus præfatis, *110* Dico primò. Parochi Indorum ceremoniarum sacrarum incuriosi, & eo se gerentes modo, de quo numer. 107. mortaliter peccant. Probat. Quia rem omnium diuinissimam, indignè tractant, & suo exemplo Neophytos ad irreuerentiam

Cum Proregum vxoribus in vsu, sicut in Ceremonia aliis maritis propria. Sed nimis extensio.

Amplior pro thurificatione concessio.

Afferio x. Parochos Indorum mortaliter peccare ceremonias negligenter.